



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

9. Exorcismus ad caldaria sive ad aqua.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

Incipit exorcismus ad caldaria sive ad aqua.

IX. **D**eus iudex justus & patiens, qui auctor es pacis & iudicis æquitatem, tu iudica quod rectum est Domine. Rectum iudicium tuum. Qui respicis super terram, & facis eam tremere, tu Deus omnipotens, qui per unigenitum filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum mundum salvasti, & per ejus passionem genus humanum redemisti, tu hanc aquam per ignem ferventem sanctifica. Qui tres pueros, id est, Sidrac, Misac, & Abdenago iussu Regis Babylonis Nabuchodonosor in camino ignis missos accenso fornace salvasti & intactos per angelum tuum eduxisti, tu Domine, qui semper dominaris, presta ut sicut innocens de hunc furtum in hanc aquam per ignem ferventem manum miserit, sicut tres pue-

ros supradictos de camino ignis & Sufanam de falsa crimina liberasti, ita & qui innocens de hunc supradictum furtum in hanc aquam per ignem ferventem manum miserit, salvam & intactam educat, ita, Deus omnipotens, si quis culpabilis, adin-grasante diabolo cor induratum, presumpserit manum mittere, tua iustissima veritas hoc declaratur, tua virtute manifesta, anima pro penitentia salvetur. Si quis culpabilis pro aliquo maleficio aut pro herbas diabolicas peccatum tegere voluerit, tua dextera hoc evacuare dignetur. Per ipsum Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum semper vivit & regnat Deus in unitate Spiritus sancti per omnia secula seculorum. Amen.

Resolutio omnium maleficiorum & maledictionum & incantationum & conligationum & in... sionum & instigationum & zeli & invidia & demonij & omnium malorum quacunque scimus vel quacunque nescimus.

Ex alio codice M. S. ejusdem bibliothecæ.

X. **I**nvocamus te, Deus omnipotens, Rex æternæ omnium seculorum, incorruptibilis, immaculate, indivise, lucis dator, potens manu, adonai, eloe sabaoth, Deus deorum & omnium virtutum, gloriose, gloriosissime pater veritatis magne & misericordiae, princeps potestatum, pater Domini nostri Iesu Christi, benedictionem da famulo tuo nom. ill. omnibus qui ad eum pertinent. Insuper invocamus te, Deus deorum, omnipotens, Rex æternæ, qui sedis in medio duos Cherubin ac Seraphin. Resolve, Domine, si qua nobis facta sunt maleficia vel conligationes, aut si tentantur fieri, vel conligavit nos aliquis, aut devovit, aut posuit aliquid noxium in fundamentis nostris, aut ingressu, aut regressu, aut lecto, aut in ædificio, aut in extergulino, aut in agro, aut in atrio, aut in via, aut in semita, aut in deserto loco, aut in monumentis, aut in aqua, aut in igne, aut quolibet loco ubi scimus vel nescimus. Resolve Domine, & ne permittas aliquem nocere famulo tuo nom. illo, quacunque ad eum pertinent. Coniuro vos omnia quacunque noxia estis vel nociva, sive jam facta, sive futura, agni-

Tom. II.

ta vel incognita. Coniuro vos demones & omnis spiritus immundus per Deum timendum & tremendum & honorandum & glorificandum & enarrabile nomen, per beleoi, hadonai, eloe sabaoth, ne noceatis vel adpropinquetis ad famulum Dei nom. illo, quod ad illum pertineat, sed recedite à me, & ite singuli super capita eorum qui vos fecerunt vel dixerunt vel conscij sunt. Quicunque ille, sive vir, sive mulier, sive de qualibet gente vel natione, quos scimus vel nescimus, convertimini, & ite singuli per istam conjurationem & hoc conservatorium, per signum venturi & iudicaturi vivos & mortuos Regis Iesu Christi. Sed & virtutes cœlestes & angeli Dei, qui assistatis ante conspectu Domini in cœlis sanctis atque altissimis consistentes, Michael, Gabriel, Raphael, Cherubin & Seraphin, custodite omnem inscriptionem domus nostræ, & conservate famulum Dei nom. ill. quod ad eum pertineat ab omni re mala, à zelo, ab invidia, ab infirmitatibus, à demonio, ab instigationibus, vel ab omnibus tentationibus, à maleficiis, à maledicto, & ab omni malo unde scimus vel nescimus.

T t ij